



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 49. Patavium a Cæsare obsessum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)



Sæcul. XVI. A.C. 1509. Cæsaris mandatis ex asse morem gereret, ac publicæ rei commoda pro viribus promoveret. Hic demandata sibi provincia haud impigreungebatur: sub idem vero tempus Veronenses, ac Vicentini pristini sui Principis imperium anhellabant, ac Patavinorum exemplo excitati clam seditionem moliebantur, Cæsareos ex urbe depulsuri. Verum Palliæus rem edoctus, cuncta eorum consilia disjecit, & quamvis Veneti jamjam copias suas in aciem eduxissent, spe concepta, se utramque urbem occupaturos; Gallis tamen adventantibus ad Patavina moenia sese recipere compellebantur; unde ambæ civitates aliquamdiu Cæsaris dominationi assertæ manebant; interea vero Maximilianus, qui tum ad Alpium fauces Marosticæ agebat, veritus, ne hostes primis victoriæ auspiciis animati, viam ei præcludere, reditumque in Germaniam prohibere tentarent, ad castrum Scalæ ad fines Tyrolis, quæ Austriacæ Domui parebat, celeri fuga sese recepit.

## §. XLIX.

*Patavium a Cæsare obsessum.*

*Marian. ib.*  
v. 86. Eodem tempore Imperator novis militum subsidiis auctus, facile triginta armatorum millium exercitum numerabat,



bat, non computatis mille trecentis lanceariis, quos Galliarum Rex eidem suppeditabat, præter trecentos alios a summo Pontifice missos, quibus accesserant mille Hispani. Igitur hisce copiis instructus iter in Italiam aggreditur, ac die tertia Septembris Patavium veniens, obsidionem parat, cujus denuo eventus Reipublicæ sortem dirimeret. Petilianus Comes, ceterique Veneti exercitus Duces comperto Cæsareorum adventu atque consilio, cum omnibus copiis suis urbem ingrediuntur, adjunctis omnibus, quotquot de robore exercitus colligere poterant; unde præsidiariorum numerus ferme viginti quinque armatorum millia adæquabat, haud numeratis plurimis opificibus ad erigenda munimenta aptissimis; advehebatur quoque ingens annonæ vis, ac bellici apparatus copia; accurrebant certatim gloriæ studio accensi Nobiles adolescentes ferme trecenti, quibus ipsimet Lauredani Ducis Filii præerant. His omnibus Patavium ingressis, paulo post Imperator tertio ab urbe lapide castra posuit, ubi incassum Brentiam flumen avertere conatus, propius urbi copias admovit, quam cum exercitu suo haud adeo numerofo (\*) circum

Sæcul. XVI.  
A.C. 1509.

Raynald. ad  
ann. 1509.

n. 19.

Petr. Justin.  
lib. 10. § II.

(\*) Paulo ante dicebatur, Maximiliani exercitum



Sæcul. XVI. circum circa cingere haud posset, nonnisi  
A.C. 1509. tractum, qui a porta S. Crucis usque ad  
 inferiorem Brentiam excurrit, occupa-  
 vit, atque advectis ex Germania belli tor-  
 mentis aggeres erexit ea ex parte, quæ  
 præ ceteris magis munita apparebat,  
 nempe e regione operis, quod versus  
 portam S. Crucis exurgebat; unde ag-  
 gressioni initium dare oportebat ex parte  
 propugnaculi, quod portam, quæ Vene-  
 tias respicit, tuebatur.

## §. L.

*Pertinax obsessorum defensio.*

Præsidarii exercitus robur constabat  
 duobus millibus Epirotarum seu Al-  
 banensium equitum, qui in urbem im-  
 missi, nonnisi raptò vivere assueti, singu-  
 lis diebus excursiones in Cæsareos fe-  
 cerunt, atque eos continuis velitationi-  
 bus infestarunt; invadebant illorum sta-  
 tiones, ac sublato comœatu diripie-  
 bant & sarcinas, prædaque onusti ex ca-  
 ptivis etiam quibusdam non raro secum  
 abstractis redibant, dato nequidem ho-  
 stibus

---

*exercitum numerasse triginta duo millia, ac sex-  
 centos milites; hæc qualiter conciliari valeant  
 cum paucitate suorum, haud capimus; ceterum  
 Patavinæ urbis ambitus facile minori adhuc  
 exercitus parte cingi potuisset.*